

Universitätsbibliothek Wuppertal

Omnia Divini Platonis Opera

Plato

Venetiis, M.D.LVI

Platonis vita, et primo genealogia et genesis.

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-254](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-254)

PLATONIS VITA, ET PRIMO GENEALOGIA ET GENESIS.



PLATO Atheniensis Aristonis & Perictiones sive Potonæ filius à Neptuno genus utriusque ducit. Nam Solon à Nereo & Neptuno descendit. Solonis vero frater Dropides Critiam maiorem genuit: à quo Calæscrus ortus duos habuit filios, Critiam scilicet minorem, qui vnus ex triginta Athenarum gubernatoribus fuit, atque Glauconem Charmidis & Perictiones patrem. Perictione vero Aristonem peperit & Adimantum & Glauconem. Familiam quoque Potonam: quæ Eurymedonti nupta, peperit Spensippum. Rursus Aristonem Platonis pater à Codro filio Melanti descendit, qui iterum in Neptunum sicut & Solon originem referunt. Ferunt Athenis celebre esse, Aristonem Perictionæ, cum esset speciosissima, congressi conatum esse. Verum fuisse illius conatus irritos, iudicasse; in somnis Apollinem, atque ab eo iussu mandam à coniugali copula quoad pareret, seruasse. Quod & Laertius et Polytrates scribunt. Nascitur Athenis vel in Aegina à Troiæ captiuitate anno septingentesimo quinquagesimo sexto: ab vrbe condita trecentesimo tertio: ante Christi aduentum quadringentesimo vigesimo tertio. Platonis genesim qualem adolescens audieram, in libro de Amore significauit: sed nunc adducam qualem Iulius Firmicus Astronomus describit. Cuius opinionem hac in re existimo veriorē. Est autem eiusmodi: In ascendente aquario Mars, Mercurius, Venus. In secunda, Sol in piscibus. In quinta, Luna in Gemmis. In septima, Iupiter in Leone. In nona, Saturnus in Libra. Hanc genesim Iulius Firmicus asserit significare virum, qui mirabili eloquentia polleat, celestiq; ingenio ad omnia secreta diuinitatis accedat.

EDUCATIO, INDOLES, ERVDITIO, SOBRIETAS PLATONIS.

Fertur, cum in cunis esset, labijs infantis apes mel infudisse, eorumque futura præsagium. Aiunt Socratem vidisse per somnium oloris pullum sibi in gremio plumescere, qui continuo exortis pennis, expansis alis in altum euolans, suauissimos cantus ediderit. Postridie quum à patre sibi Plato commendatus esset, hunc esse cygnum quæ viderat dixisse. Poetico stylo in adolescentia floruit. Elegias composuit, & tragedias duas, quas & ipse igni dedit, cum primum animam ad philosophiam applicuisset. Primis literis à Dionysio præceptore imbutus est, deinde Socratem audiuit vigesimo annuæ etatis agens. Post Socratis mortem Cratylus Heracliti discipulo, & Hermodeni Parmenidis philosophiam tuenti sese accommodauit. Cum esset annorum duodeviginti. Megaram se ad Euclidem cum alijs Socraticis contulit. Hinc Cyrenem profectus, Theodorum mathematicum audiuit, atque inde in Italiam ad Pythagoreos Philolaum & Architam Tarentinum Eurymumque concessit. Ab his in Aegyptum ad prophetas & sacerdotes se recepit. Deceuerat ad Indos Magosque progredi: verum propter Asiæ bella à proposito desistit. Regressus demum Athenas, in Academia vitam duxit: quem in salubrem Academicæ locum dicitur elegisse, quod etiam diuus Basilus & Hieronymus comprobant, ut nimis bonus corporis habitus ceu vitis nimia luxurians amputaretur. Erat enim & speciosissimo & rubustissimo corporis habitus. Vnde & à latis humeris, ampla fronte, & egregio totius corporis habitu orationisq; vbertate, Plato est nuncupatus: cum autem nominatus fuisset Aristoteles. Nihil in eo deformis, nisi forte vox aliquantulum gracilis, & nescio quid sub ceruice gibbosum eum aliquantulum deformabat. Ob Academicæ habitationem passus est quartanam febrem menses decem atque octo: sed sobrietate & diligentia sua vires post febrem validiores quàm antè recuperavit.

MILITIA ET NAVIGATIO PLATONIS TRINA.

Militauit ter. Primo in Tanagram, secundo in Corinthum, tertio in Delum, ubi etiam victoria potius est. In Siciliam ter nauigauit. Primo in insulam & ætneæ miracula crateresque videret. Agebat tunc quadragesimum etatis annum: quo etiam tempore Dionysius Hermocratis filius ut secum loqueretur, impulit: ubi cum ille de tyrannide disserteret, dicens non id præstare quod sibi soli esset utile, nisi virtute etiam excelleret, offensum tyrannum atque iratum dixisse aruit: Verba tua ociosorum senum sunt. At ille, Et tua, inquit, tyrannidem sapiunt. Ad hæc indignatum ty-

rannum primo quidem illum necare voluisse. Deinde verò à Dione & Aristomene obsecratum, id minime effecisse: verum Polidi Lacedæmonio qui per id tempus legatus ad se venerat, eum tradidisse ut reuocaretur, eum ille in Aegnam adductum vendidit. Quo tempore & Charmander tanquam mortis reum accusauit. Sane iuxta peruulgatam apud eos legem, capitale erat, si quis Athenensium eam insulam adisset. Ceterum cum à quodam fuisset allegatum, discipline gratia eò philosophum ascendisse, legemq; illam de hominibus, non de philosophis qui super homines sunt, loqui, absolutum eò dimisere: neque occidendum, sed vendendum decreuerunt. Aderat forte Anniceris Cyrenæicus, qui eum viginti minis redemit, remisitq; Athenas ad amicos. Polidem verò à Calabria superatum, & postmodum in Elice fuisse submersum fama est, dæmonio sibi nunciante talia illum philosophi gratia per peti. Non tamen quiescit Dionysius. Verum cum cognouisset quæ illi contigerant, scripsit Platonem, orans ne in se maledicta intorqueret. Ad quem ille scripsit, non tantum sibi à philosophia superesse otij, ut Dionysij memisset. Obtractatoribus quibusdam Platonem à Dionysio derelictum obiectantibus respondit, inò verò à Platone Dionysius est relictus. Secundo profectus est ad Dionysium iuniorē, ab eo & Dione philosophandi gratia accersitus: hac quoque spe ductus, se suis consilijs effecturū, ut illic ex tyrannide, aut republica fieret, aut regnum: visurumq; quod iandiu vehementer optabat, gubernationem scilicet quandam maxime philosophicam, in qua vel gubernent philosophi, vel gubernatores philosophentur. Putabat enim ciuitates non aliter posse miseriam euitare. Id omne non vi aut dolo, sed philosophicis rationibus persuasio Dionysio fieri cupiebat. Sed quarto ferè mense post Platonem accessam, Dionysius falsis impulsus calumnijs Dionem quasi tyrannidi insidiantem expulit. Platonem verò libenter amplectebatur. At Plato in patriam redijt, Tertio accessit Dionem Dionysio reconciliaturus: & ab utroque iterum atque iterum obsecratus, rogatus etiam ab Archyta. Tunc & Dionysius vitatam illi irremem obuiam misit, & Archedemum Pythagoricum oratorem, nobilesq; per multos, & ipse quadrigis albis egredientem excepit. Postulauit Plato promissam Dionis restitutionem, atque insuper urbem ac homines qui iuxta constitutam ab eo rempublicam vincerent. Idq; ille quanquam pollicitus, implere detrectauit. Cum verò Plato palam Dionysium redargueret, quod sefellisset fidem, tum sibi de Dione restitendo, tum Theodoti suo de Heraclide seruando: insensum deinde habuit Dionysium: vnde in summo vinebat periculo, ne à militibus interficeretur. Sed Architas Tarentinus Salmiscum misit ad Dionysium oratorem vna cum nauis, rogans ut Platonem dimitteret. Ille eum dimisit, ac præbuit commeatum: Plato in patriam redijt. Dionysius paulo post à Dione ciuibsq; pulsus tyrannide, criminis in philosophum commisi penas dedit. Plato miro quodam honore exceptus est in patria. Ibiq; ad Rempublicam accersitus accedere noluit: quia plebs malis se moribus assuefecerat.

QUIBVS PLATO LEGES DEDERIT.

Fertur Arcadas & Thebanos condita ciuitate honesta magnitudinis, rogasse illum, ut eam rempublicam institueret. Verum illum cum eos intellexisset equalitatem sectari nolle, profectum non esse. Syracusanis vero expulso tyranno leges dedit. & Cretensibus Magnesia nuper condita siue instaurata ciuitate, scripsit leges duodecim in libros digestas. Misit ex familiaribus suis Aristonymum ad Arcadas legibus institutos, ad Ilios Phormionem, ad Pyreos Meledimum.

CONTINENTIA, GRAVITAS, COMITAS PLATONIS.

Vixit autem cælebs & sobrius admodum, & ut Aurelius Augustinus perhibet, castus. Vnde & in senio sacra natura fecisse dicitur, ut se apud vulgus à crimine sterilitatis absolueret. Iuuenis adeo verecundus, adeo compositus fuit, ut nunquam videre, nisi modice, deprehensus sit. Iratum verò vidit nemo. Vnde apud Platonem educatus puer cum ad parentes reuersus vociferantem videret patrem, nunquam inquit hoc apud Platonem vidi. Semel tantum clam subiratus est puero grauter delinquenti. Sed Xenocrati inquit, Cede tu huic puero: Ego enim quia iratus sum, nequeo. Edebat quolibet die aut semel tantum, aut bis, farcisimè. Dormiebat solus. Contrariam vitam multum vituperabat. Ad amandos adolescentes, quemadmodum & Socrates suus videbatur paulo prior, verum uterque tam ratione continens, quam sensu procliuus. Quam diuini ista amauerint, & quo pacto quæ de amore locuti sunt, exponantur, satis in libro de amore tractatumus. Optabat moriam

moriam sui vel in libris, vel in amicis relinquere. Et si melancholicus erat, profundissimiq; ingenij, vt scribit Aristoteles, iocis tamen plurimis utebatur, atq; Xenocratem & Dionem seueriores sepius admonerat, vt Gratus sacra facerent, quo iucundiores gratioresq; redderentur. Platonis autem grauitatis comitas erat admixta.

DISCIPULI PLATONIS
PRAECIPVI.

Discipuli eius fuerunt, Speusippus Atheniensis, Xenocrates Calcedonius, Aristoteles Stagiritis, Philippus Opuntius, Hestius Perinthius, Dion Syracusanus, Amycles Heracleotes, Erasus & Coriscus Scepij, Timolaus Cyzicenus, Hebion Lampsacenus, Pithon & Heraclides Aenij, Hippothales & Calippus Athenienses, Demetrius Amphipolites, Heraclides Ponticus, & complures alij: & cum his mulieres duae, Lasthenia Mantinea, & Axiothea Phylasia: quae virili utebantur veste. Theophrastum item illius fuisse auditorem ferunt, & Hyperidem oratorem. Chameleon & Lycurgus, & Demosthenem quoq; fuisse ipsius studiosum, & Mnesistratum. Vestibulo Academiae inscriptum erat, Nemo huc geometriae expertus ingrediatur. Quod quidem non solum de linearum, sed etiam de asseclum debita mensura volebat intelligi.

LIBRI QUOS SCRIPSIT PLATO, AC APOSTERIS IN QUATERNITATES
NOVEM COLLECTI.

PRIMA QUATERNITAS.

Eutyphro, vel de sanctitate.
Apologia Socratis, id est defensio.
Crito, vel de eo quod is egit in carcere cum Socrate, vel de agendo.
Phaedo, vel de animi immortalitate, vel de anima.

SECUNDA.

Cratylus, vel de rella nominum ratione.
Theaetetus, vel de scientia.
Sophista, vel de ente.
Cuius, vel de regno.

TERTIA.

Parmenides, vel de vno omnium principio, & de ideis.
Philebus, vel de summo bono, vel de voluptate.
Conuiuium, vel de amore.
Phaedrus, vel de pulchro.

QUARTA.

Alcibiades primus, vel de natura hominis.
Alcibiades secundus, vel de voto.
Hipparchus, vel de studio lucrandi, vel de lucri cupiditate.
Amatores, vel de philosophia.

QUINTA.

Theages, vel de sapientia.
Charmides, vel de temperantia.
Laches, vel de fortitudine.
Lysis, vel de amicitia.

SEXTA.

Euthydemus, vel litigiosus.
Protagoras, vel de moribus sapientiae professorum.
Gorgias, vel de rhetorica.
Meno, vel de virtute.

SEPTIMA.

Hippias maior, vel de pulchro, vel de honesto.
Hippias minor, vel de mendacio.
Io, vel de furore poetico, vel de Iliade.
Menexenus, vel de Attica antiquitate, vel Epitaphius.

OCTAVA.

Clitopho, vel exhortatorius.
De Republica libri decem, vel de iusto.
Timaeus, vel de mundi natura.
Critias, vel Atlanticus, vel de Atlantica antiquitate.

NONA.

Minos, vel de lege.
De legibus libri duodecim.
Epinomis, id est, legum appendix, vel philosophus.
Epistola duodecim.

Hos oēs Platonis libros ipsi de Graeca lingua translulimus in Latinam. Tres vero sunt Platoniorum species dialogorum. Aut enim philosophas confutat, aut adolescentes adhortatur, aut docet adultos. Quae in epistolis, vel in libris de legibus, & Epinomi Plato ipse suo

differit ore, certissima vult haberi. Quae vero in ceteris libris, Socratis, Timaei, Parmenidis, Zenonis ore disputat, verisimilia.

ELOQUENTIA, SAPIENTIA, AVTORITASQUE PLATONIS.

Stylus Platonis, vt ait Aristoteles, medius inter solutam orationem & carmen fuit, suauitas & copia tanta, vt Cicero Platonem & intelligendi & dicendi grauisimum autorem fuisse dixerit. Adiecit, si Iupiter humana lingua loqui voluisset, non alia quam Platonis lingua fuisse locuturum. Doctrina vero tanta in eo, vt cum ante illum omnes inter Gracos illustres, ad externas gentes sapientiae gratia peregrinati fuissent, post Platonis tempora ceterae nationes Athenas confluxerint, & Aristoteles tam miro ingenio praeditus, ac noue heresis audissimus, cum Platonem iam penae adultus adisset, viginti cum continuos annos audierit. Adde quod prius quam adiret Platonem, iam literis prouectus erat. Deinde Platonem solum habuit praeceptorem. Mitto quod a Cicerone scribitur: Malo cum Platone errare, quam cum ceteris recte sentire. Praeterea quod vna cum Panetio illum appellat Homerum philosophorum. Mitto illud Quintiliani, Quis dubitet Platonem esse praecipuum, vel acumine differendi, vel eloquendi facundia diuina quadam & Homericam. Multum enim illius oratio supra prosam orationem, & quam pedestrem Graeci vocant, surgit: vt mihi non humano ingenio, sed Delphico quodam oraculo videatur instinctus. Diuina quadam sapientia & probitate mirabilem auctoritatem etiam in patria, quod rarissime fieri solet, sibi comparuisse videtur. Reuersus ex Sicilia Plato, cum ad magnificissimam illam Olympiorum celebritate quae quendam orbis terrarum conuentum peruenisset, tam letis cunctorum occuribus exceptus est, vt de caelo Deus ad mortales demissus videretur. Lulos deserui, Athletarum spectacula relinquere, Pugiles solos omitti carneres: & quod admirabilis est, qui tam longis terrarum mariq; tractibus, passendorum uulcorum animorumq; & aliorum gratia ad Olympia venerant, omnis voluptatis obliui Platonem alibant: Platonem intuebantur, in Platone perinde atque amoenissimo diuersorio conqueiebant. Cum tragediam quis reserret, nec quissiam praeter Platonem adisset, obiectantibus quibusdam dedecori esse illi quod nemo praeter unum adisset, respondit ille: Et hic vniplus est, quam Atheniensis populus.

CHARITAS, MAGNANIMITAS, SANCTIMONIAQUE PLATONIS.

Quam magno & constanti animo, praesertim in amicorum causa fuerit, declarat eius epistola. Tyrannum saepe quod inuere gubernaret, quodque amicos falleret, etiam praesentibus testibus audacter redarguebat, tantum aberat vt illi assentiretur. Mitto miniora illa, quale illud est quod inserat Dionysius in conuiuium, vt singuli purpura induti saltarent, saltauit protinus Aristippus: Plato vero noluit: dicens non conuenire philosopho muliebria. Et contemptus tyranni, Dionysiq; defensio. Praeterea Cabria fortissimo ducti Crobylus accusator improbus diem dixerat, & capitis iudicium intenterat. Quocirca cum a reliquis destitutus ciuibus metu periculi in arcem ascenderet, solus Plato auxilium praestaturus semper illi adfuit. Cum vero calumniatur Crobylus, vt cum a patrocino deterreret immitans dixisset: alijs defensionem praestaturus aduentus, ignorans quod te quoq; Socratis venenum expectat. Ipse respondit: Olim Crobyle, cum patrie dignitati militabam, in toleradis periculis haud segnis eram: nunc pro officio, & amici salute licet ferrum ac venena mineris & igne, nullum recuso discrimen. Cum Socrates carcere iniustissime inclusus esset, Plato pecunias congregauit, vt redimeret innocentem. Et dum iudicium agebatur, ascendens in suggestum, sic cepit orare: Cum minor natu sim viri Athenienses his omnibus qui tribunal ascenderunt. Verum tyrannici iudices veriti, ne auctoritate & eloquentia sua ciues moueret, interpellauerunt repente, reclamauerunt, descende. Plato domum abiit. Nam quantum illi mala mentis morbo, tantum hic tunc morbo corporis laborabat. Socratis vero persecutores penas paulo post dederunt. Cum ex condiscipulis quidam instigaretur inuidia Xenocrate adeo Platoni gratum acceptumq; esse, vt in eum constaret inimicitias, multa in Platonem Xenocratis maledicta renunciauit. Plato medio sermone criminationem respuens, obaudit. Instat obtestator vultus seueritate crimen affirmans. Deniq; deos oēs, ac deas obtestanti, Plato vt ab eius sese pertinacia solueret, esto inquit. Sed ea Xenocrates sive ac grauitate pollet: vt nisi sic expedire iudicasset, dicturus ea nunquam fuisset. Grauitate magnanimitatemq; Platonis imitatus fuisse Xenocratem delectum eius discipulum, testis est vita Xenocratis apud Diogenem, quae quidem est fortitudinis & sanctitatis exemplar. Amicitia quoque fuisse

fuisse Dionem, Plutarchus est testis. Præterea Philiscus Lycurgi oratoris vitam describens: Magnus vir inquit fuit Lycurgus, multaque sunt ab eo gesta præclare, quæ facere nemo potuisset qui non fuisset Platonis auditor, Demosthenes cum Antipatrum fugeret: Archimæ blandis verbis se ei vitam seruaturum pollicenti, absit, inquit, ut viueret turpiter malim quam honestè mori, postquam Xenocrate & Platonem de immortalitate animi differentes audivit. Idem scribens ad Heracleodorum quendam condiscipulum suum, atque eum reprehendens, quod postquam Platonem audierat, negligeret bonas artes, & vitam parum honestè duceret, Nonne, inquit, erubescis ea negligere, quæ à Platone acceptisti? Dionysius ad Speusippum scribens, ait: Plato quidem gratis sua limina terentes docebat. Tu vero tributa exigis, & à volentibus ac nolentibus accipis. Laertius quoque carpit eundem, quod non sicut Xenocrates Platonis castitatem & fortitudinem, mansuetudinemque fuerit imitatus. Illud vero de fortitudine Xenocratis tacere non possum, quod cum Platoni Dionysius diceret, Caput tibi quisquam tollet. Xenocrates qui aderat, inquit, Nemo istud prius quam meum hoc abscinderet.

SENTENTIAE ET PROVERBIA

PLATONIS.

DE Aristotele & Xenocrate hæc Plato dicebat. Huius qualem equum, qualemque asinum iungendos assumpsit. Aristoteles qui dem feno indiget: Xenocrates vero calcariibus. Erat inter discipulos eius lautus nimium, & curandæ cutis studiosissimus adolescens, quem Plato rogavit: Quousque tibi carcerem edificare perges? Quoties hominem amore irretitum videret, ille aiebat, Proprio in corpore mortuus est, vivit in alieno. Addebat, Qui se ipse alterius gratia deseruit, omnium esse miserimum: quippe qui neque se possideat ulterius, neque alterum. Platonis quidem familiaris vir doctus, eum orabat ut sibi aures paulisper accommodaret libellum à se editum lecturo. Rogatus subinde à Platone, quæ libri esset inscriptio, respondit, Contradicendum non esse. Cui Plato: cur igitur ipse hoc facit? Cur contradicentibus contradicis? Cur me consulis, si tibi prohibes contradicere? Leo cuius potens in cætu carpebatur, quod magnas & immodestas in senatu vociferationes habuerat. Plato, hoc ipsum, inquit, est vere leonem esse. Diogeni Cynico dicenti, quod humana quidem ista videret, ideas vero nequaquam, Cui mirum inquit? Oculos enim quibus ista videntur habes & videris, mente vero non videris, quæ sola illæ cernuntur. Mirantibus discipulis, quod Xenocrates in omni vita severus, nescio quid risu excipiens dixisset: Quid inquit miramini inter spinas aliquandiu rosas & lilia nasci? Ad iuvenes crebro dicere solebat: Otio labores antepone, nisi forte rubiginem splendore præstare putatis: Iuventus ad beatam vitam hac ratione sapientissime incendebat. Contrariam virtutis ac voluptatis naturam animadvertite. Huius enim momentaneam dulcedinem subita penitentia sequitur, dolorque perpetuus: illius autem breves labores, æterna voluptas. Cum vidisset quendam alea ludentem, arguit: & cum ille, quam parva reprehendis diceret, Plato respondit: At non est parvum consuetudo. Ebrius & iratus consulere solitus erat, sese ut in speculo studiosè intuerentur: ab eiusmodi statim feditate discessuros. Ebrietatem & somnum valde detestabatur. Aiebat plurimum referre ad pueritiam educandam ut honestis solum gaudere pueri assuescerent. Alioquin voluptatem dicebat escam esse malorum. Addebat sanitatem animi veram esse philosophiam, ceteras vero facultates non tam philosophiam quam ornamenta videri. Nihil sane menti suavius esse quam vera dicere & audire. Veritate enim nihil est melius vel durabilius. Interrogantibus quibusdam, quæ nam possessionum genera filijs essent potissimum comparanda: Ea dixit quæ non grandinem, non hominum vim, non ipsum denique Iovem extimescerent. Demodoco de filij eruditione consultantis, qualis inquit in arbutusculis plantandis dirigendisque, talis & in filijs gignendis, & in situendis curæ esse debet. Hic labor, illic voluptas. Cavendum autem ne in hoc sopiti, in illo plus quam virgines videamur. Philedono cuiuspiam Platonem carpenit, quod non minus in discendo quam in docendo studiosus ac sedulus esset, & quoad discipulum esse vellet interroganti: quoad inquit meliorem ac peritiorem esse me non panitebit. Interrogatus quidnam inter peritum imperitumque interesset: quod inter medicum ægrotumque, respondit: Principibus nullum præstantius prædiorum genus esse dicebat, quam eorum familiaritatem hominum, qui cautionari nescirent. Principi non aliter necessariam esse sapientiam, quam corpori animam. Beatissimas fore respublicas, si aut philosophi dommentur, aut saltem qui gubernant, diuina quadam sorte philosophentur. Nihil enim pestilentius esse potestate & audacia, quam ignorantia comitetur. Tales quoque subditos esse solere, quales principes videantur. Magistratum non proprium bonum,

sed publicum cogitandum: non partem solum civitatis quandam, sed totam esse curandam.

QUANTVM PLATO NEGLEXIT

HVMANA, QUANTVM DIVINA DILEXIT.

REPetebat quotidie sola æterna esse vera: Temporalia vero rerisimilia. Dormire in corpore animum. Et quæ sensus appetit aut timet, nihil aliud esse quam somnia. Itaque hæc omnia penitus contemnenda. Et ut mala vitentur quibus plenus est mundus, ad æterna confugiendum: aliter enim deitari non posse. Ipse quoque quæ præcipiebat, implevit. Nam cum & hereditario quodam iure & civium favore princeps in Republica esset futurus, omnem prorsus civilem respuit dignitatem. Cum patrimonio ditissimus esset, fratribus largitus est omnia præter suburbanum prædolum, quam academiam nominabant. hoc solo contentus vixit. Etsi præceptor amicisque principum extitit, divitias tamen ab his nullas accepit. Solebat rex Dionysius dicere, Aristippus semper pecunias petit, Plato semper libros. Adde quod neque uxorem duxit, neque vixit in urbe, ab omnibus liber, soli serviens veritati. Unde diuus Hieronymus inquit: Plato Aegyptum & Architam Tarentinum eamque oram Italia quæ quondam magna Græcia vocabatur, laboriosissime peragravit, ut qui Athenis magister erat & potens, cuiusque doctrinam Academia & gymnasia personabant, fieret peregrinus atque discipulus, malens aliena recunde discere, quam suam impudenter ingerere. Denique cum literas quasi toto orbe fugientes persequitur, captus à piratis & venundatus, etiam tyranno crudelissimo paruit captivus, vincitus est servus. tamen quia philosophus, maior emente se fuit. Hæc Hieronymus.

PIETAS ET GRATITVDO

PLATONIS.

GRatus deo fuit, à quo principium cogitandi, dicendi, agendi, omnibus in rebus, & faciendum dicebat esse, & ipse semper esiciebat. Præterea deo gratias agebat quotidie, quod homo natus esset non brutum: quod Græcus non barbarus: quod temporibus Socratis. Quam gratas præceptoribus fuerit, omnibusque amicis, testimonio sunt eius dialogi. In quibus mirifice eos omnes honorat, atque Socrati libros suos attribuit. Non solum enim illum in omnibus penne dialogis disputantem inducit, sed etiam omnia à se composita, scribit non sua, sed Socratis esse.

QUAE PLATO AFFIRMAVIT.

IN his quæ sensibus subiacent, partes Heracliti tuebatur. Porro in his quæ ad intelligentiam pertinent, Pythagoræ maxime acquiescebat. In rebus autem civilibus Socratem suum amplectebatur, quæ ubique affuerat, hæc sunt. Deum omnibus providere. Animas hominum immortales esse. Bonorum præmia, malorum supplicia fore. August. in libro contra Academicos inquit, Christi auctoritatem omnibus antependam. Si autem rationibus agendum sit, apud Platonicos reperire se dicit, quod sacra Christianorum literis non repugnet. Idem Dionysius Areopagita significavit: Eusebius postea & Cyrillus latius declaraverunt. Hinc Augustinus in lib. De vera religione: Platonici inquit paucis mutatis Christiani fierent. Atque in confessionibus, narrat se proœmium Ioannis Evangelistæ ferme totum apud Platoncos reperisse. Propterea in secundo de Civitate dei inquit: Labeo Theologus apud gentiles, Platonem inter semideos connumerandum putavit, sicut Herculem atque Romulum: semideos autem heroibus anteponebat, sed utrosque inter numina collocat. Verum tamen istum quem appellat semideum non heroibus tantum, verum etiam dijs ipsis præferendum esse non dubito. Unde inquit se Platonicos ante alios elegisse, quia de rebus divinis atque humanis rectius ad modum quam ceteri philosophi senserint. Quod & Marcus Varro antea indicaverat, & Apuleius Platonem, non tantum heroibus superiorum fecit, sed dijs æqualem, quia videlicet diuinarum rerum adyta penetraverit. Plato tanta fuit modestia præditus, ut cum mirabilem sibi auctoritatem ante alios comparavisset, tamen interrogatus à quodam quatenus præceptis suis parendum foret, responderit: quoad in terris appareat sacratior aliquis, qui fontem omnibus veritatis aperiat, quem denique sequantur omnes. Addidit, nihil suo, sed divi no tantum lumine reperisse. Quid autem in philosophia senserit, satis in libro de Amore, & Theologia nostra tractavimus.

REDIIVS PLATONIS IN PATRIAM COELESTEM ET LAVDES.

Natali suo decessit, & annum unum atque octaginta implevit, sine ulla dubitatione. Ideo magi, qui tunc Athenis erant, Platoni immolauerunt, amplioris fuisse sortis quam humane rati, quia consummauisset numerum perfectissimum, quem nouem nouies multiplicata conficiunt. Atque quod mirum est, adhuc in ea etate, & in eo ipso die scribebat. de quo Cicero inquit. Est etiam quiete, & pure, atque eleganter acta etatis placida ac leuis senectus, qualem accepimus Platonis, qui mo & octogesimo anno scribens mortuus est. Seneca etiam affirmat id Platoni sobrietatis & diligentia beneficio contigisse. Alij inter scribendum, alij discumbentem in nuptijs remotis dapibus inter differendum ad superos rediisse. Aristoteles in templo aram Platoni statuamq; sacravit hoc epigrammate: Aram Aristoteles hanc Platoni dicauit, viro quem nefas est a malis laudari. Addit Aristoteles,

Qui solus uita, doctrina, moribus, ore
Admonuit cunctos, & monumenta dedit:
Ut uirtute queant felicem ducere uitam.
Nulla ferent talem secla futura uirum.

Adiunxerunt & sapientes alij in Platonis laudes carmina plurima: sed precipua epigrammata tria. Primi haec est sententia: Temperantia, iustitiaq; excellit omnibus, tantum uero sapientia superauit, ut omnem prorsus inuidiam superauerit. Secundi hic est sensus: Plato in deorum numerum est translatus. Longinqua hunc nationes honorant: qui diuinam uitam ipse nouit, alijq; monstrauit. Tertij sententia est huiusmodi. Phœbus Aesculapium genuit & Platonem, ut ille corporibus, hic animis mederetur. Præterea Mithridates Persarum rex Platonis statum in Academia ita locauit inscriptam, Mithridates Rhodobati filius Perses Musis imaginem Platonis dicauit, Syllanionis opus. Ex his omnibus id Plato est consecutus, ut Græci Aristotelem quidem demonium: Platonem uero diuinum cognominauerint. Quia uidelicet ille & uita humanus & scientia naturalis maxime fuerit. Hic autem scientia simul & uita sese potissimum ad diuinum contulerit.

APOLOGIA DE MORIBVS PLATONIS:

Inem iam uobis imponam, si pauca quedam rursus addidero. Sunt plebei quidam uersificatores qui immerito poetarum sibi nomina usurpant. Hi tam morum dissimilitudine quam malignitate in uicia pronocati, in optimum quenque impudentissime ludunt. Quibus summa quedam licentia in bonos potius quam in malos conceditur. Tales igitur olim poeti, diuinum Platonem à Græcis, Apollinis filium, & Socratem ab Apolline Græcorum sapientissimum iudicatum, mordere non dubitarunt. Quorum impietatem Laertius Diogenes summo perdetestatur. Atque ut ipse declarat, ridicula etiam conicorum conuitia Aristippus auxit Cyrenensis, homo pessimus, & optimi cuiusque suorum temporum aduersarius, qui sicut alios plerisque modestissimos doctissimosq; ficta quadam historia uisuperauit, sic etiam Socratem præceptorem, & discipulos suos Xenophontem atque Platonem: sicutq; horum nomine carmina quedam in scorta puerosq; lasciuia, uidelicet ut falso magnorum philosophorum exemplo liberiores ipse peccandi scientiam nancisceretur. Verum Aristoteles cui ueritas magis quam Plato fuit amica, tam falsas in uirum sanctum calumnias sustinere non potuit. Nam in elegijs ad Eudemum, illa de Platone quæ in superioribus diximus, cecinit: id illi maxime tribuens, ut prophani non solum uituperare Platonem uillo pacto non debeant: uerum etiam sub pretextu laudis sanctum illius nomen ore prophano nominare non audeant. Neque Elegia contentus fuit: sed etiam, ut tradit Olympiodorus, præclaræ orationem de Platonis laude composuit. Obmutescant igitur apud superos inferni canes, atque apud inferos latratu Cerberum comitentur. Nos autem Platonis uitam, & sapientiam iudicio sapientum approbatissimam reuerentur, atque uia cum Apuleio Ma-

daurensi liberè proclamemus:
Nos Platonica familia nihil nouimus nisi festum, letum, celeste, supernum.

TABVLA LIBRORVM PLATONIS A MARSILIO

FICINO FLORENTINO TRADV-
Etorum: Item quæ insunt partim argumenta, partim autem commentaria, per eundem Marsilium in libros eosdem composita.

1	Hipparchus de lucri cupiditate	Fo. 1
2	De philosophia seu amatores	3
3	Theages de sapientia	6
4	Menon de uirtute	9
5	Alcibiades primus de natura hominis	19
6	Alcibiades secundus de uoto	30
7	Minos de lege	34
8	Eutyphro de sanctitate	37
9	Parmenides de uno rerum principio	42
10	Philebus de summo hominis bono	57
11	Hippias maior de pulchro	74
12	Lyfius de amicitia	83
13	Theætetus de scientia	90
14	Io de furore poetico	116
15	Sophista de ente	120
16	Cruilis de regno	137
17	Protagoras contra sophistas	155
18	Euthydemus siue litigiosus	173
19	Hippias minor de mendacio	186
20	Charmides de temperantia	190
21	Laches de fortitudine	199
22	Clitophon exhortatorius	207
23	Cratylus de recta nominum ratione	209
24	Gorgias de Rhetorica	229
25	Conuiuium Platonis de amore	257
26	Phædrus de pulchro	299
27	Apologia Socratis	317
28	Crito de eo quod est agendum	327
29	Phædon de anima	331
30	Menexenus, funebris oratio	354
31	Libri decem de republica	360
32	Timæus de generatione mundi	456
33	Critias de Atlantico bello	497
34	Libri xij. de legibus	503
35	Epinomis, id est, legum appendix uel philosophus.	616
36	Epistolæ duodecim Platonis	623
37	Axiochus Rod. Agricola interp.	643

M. FICINVS AD LECTOREM.

NE forte putes amicè lector tantum opus editum temere, scid eum iam composuissim, antequam ederem, me censores huic operi plures adhibuisse: Demetrium Atheniensem non minus philosophia & eloquio quam genere Atticum, Georgium Antonium Vespucium, Joannem Baptistam Boninsegnium, Florentinos, uiros Latine lingue Græcæq; peritissimos. Vsum præterea acerrimo Angeli Politiani doctissimi uiri iudicio: usum quoque consilio Christophori Landini, & Bartholomæi Scalæ, uirorum clarissimorum.

ΕΙΣ ΠΛΑΤΩΝΑ.

Φαίβο ἔφουσι βροτοῖς ἀσπλαγχνῶν, ἠδὲ πλάτωνα.
Τὸν μὲν ἔνα ψυχῆν, τὸν δ' ἔνα σῶμα σάου.
Δαιμόνιον δὲ γάμον, πέλιν ἦλυσεν, ἢν περὶ αὐτῷ
Ἐκτίσει, καὶ δεπέσῃ ζῆνός ἀιδρῶσατε.

ΑΛΛΟ.

Σαφροσύνην προφίρων θνητῶν ἦρα τε δαιμόνιον
Ἐνθάδε δὴ κῆται δαιμόνιον ἀριστοκλήν.
Εἶδὲ τις ἐν πάντων σοφίης μέγαν ἔσχεν ἔπαινον.
Ὅτ' ἔχῃ πλεῖστον, καὶ φρόν' οὐχ ἔπιται.

ΑΛΛΟ.

Ταῖα μοι ἐν κέλῳ κρύπτει τὸ δὲ σῶμα πλάτανον.
Υψὸν δ' ἀθανάτων πῆξιν ἔχει μακάρων.
Υἷος ἀρίστου, τὸν τις καὶ τιμῆσι καλῶν
Τίμα ἀνὴρ ἀγαθὸς θεῶν ἰδέντα βίον.